

Patriarcham ex celsissima turri præcipitarit, sicut narrat *Sigonius* lib. 4. de Regno Italiae ad annum dcccxii. Hoc audito immani scelere, *Paulinus* Forojulienfis, seu Aquilejenfis Patriarcha Concilium *Altini* mox celebravit, in quo Patres auxilium *Caroli Magni* Imperatoris in *Joannem* Venetorum Ducem, ob eadem *Joannis* Patriarchæ Gradenfis factam implorarunt. Extat hujus Concilii Epistola Synodalis ad *Carolus Magnum* Imperatorem directa apud *Carolus Coinitium* Tomo vi. *Annalium Ecclesie Francorum* pag. 808. (a).

„ (a) De hoc Altinenfi Concilio ambigere me plurimum late exposui in superioribus adnotationibus. Id unum profecto constat Altinenfe hoc qualecumque Concilium, cujus synodica evulgata est a *Baluzio*, a veteribus nusquam commemorari. Synodica vero, ex qua una innotescit, ex vitiatissimo Cod. ab eodem *Baluzio* data est ut sæpe *Delio Natatore* indigeat. Ego illam integriorem reperi in Vaticano Cod. eandemque juxta eam lectionem daturus sum in nova Conciliorum editione, quæ hos annos Venetiis adornatur. In eo vero Cod. pro *Altini* legitur *Alti* quod & bene congruit textui; nam sequitur *Alti* consilio Regis. Insuper concilium istud haberi nequaquam potuit ante annum 800. cum inscripta sit *Carolo Regi*, non vero Imperatori, quem titulum semper præferunt scriptæ ad *Carolus* literæ post annum 800. *Joannes* vero Patriarcha non nisi post annum 800. neci traditus est. Ex quo fit ut concilium si quod fuit *Altini* celebratum, in causa ejus neci haberi nequaquam potuerit. Igitur Epistola Synodica facile data est ex Concilio Forojulienfi, cui etiam in Cod. Vaticano opportune præmittitur.

Anno dcccxiii. *Abelardus* magnæ Britannia primas, seu Ecclesie Cantuariensis Archiepiscopus, *Clovesoviensem* Synodum ex Provincialibus Episcopis, his nimirum, quos olim *Gregorius Magnus* ejus Sedi subjecerat, convocavit, in qua Romani Pontificis *Leonis III.* mandatum exposuit, & cavit in primis, ne ullus deinceps Metropolitanæ suæ Sedi honorem, prærogativam, & privilegia minuere aut invadere præsumeret. Hanc *Clovesoviensem* Synodum refert *Spelmanus*, & ex eo *Labbeus* Tomo VIII. Conciliorum.

Anno dcccxiii. Quinque Concilia suasionem *Caroli Magni* celebrata sunt, videlicet *Arelatense*, *Moguntinum*, *Remense*, *Turonense*, & *Cabilonense*. In Concilio *Arelatensi*, quod habitum fuit in Basilica Sancti Stephani Protomartyris, conditi sunt ad restaurandam collapsam Ecclesie disciplinam Canones xxvi. qui extant Tomo VII. *Annalium Ecclesie Francorum*. Eisdem etiam Concilii *Arelatensis* Canones recenset, & explicat noster *Natalis Alexander* articulo tertio cap. iv. Historiæ sæculorum ix. & x. in Concilio *Moguntino*, quod in Claustro Basilicæ Sancti Albini congregatum est, confecti sunt Canones lvi. in quibus de Fide, Spe, & Chari-

rate, de Vita Clericorum, & Monachorum, de Litanis, & quatuor temporibus observandis, aliisque Rebus Ecclesiasticis plurima sunt saluberrime constituta. Extant illi lvi. Canones Tomo VII. Conciliorum, & apud *Carolus Coinitium* Tomo VII. *Annalium Ecclesie Francorum*. Eisdem etiam Concilii *Moguntini* Canones refert & exponit *Natalis Alexander* articulo iv. capitis iv. Histor. sæcul. ix. & x. In Concilio *Remensi*, cui præfuit *Wulfarius* Archiepiscopus *Remensis*, conditi sunt Canones quadraginta quinque, qui præcedentium Synodorum *Arelatensis*, & *Moguntinæ* Canonibus gemini sunt, extantque Tomo VII. Conciliorum, & apud *Carolus Coinitium* Tomo VII. *Annalium Ecclesie Francorum*. In Concilio *Turonensi* sancti sunt Canones LI. qui mores, & Ecclesie disciplinam spectant, extantque locis mox a me laudatis. Eorundem Concilii *Turonensis* Canonum LI. Synopsis, & expositionem legesit apud nostrum *Natalem Alexandrum* articulo vi. Historiæ sæculorum ix. & x. In Concilio *Cabilonensi* constituti sunt sexaginta sex Canones, qui multa præscribunt disciplinæ Ecclesiasticæ Capita, extantque locis jam memoratis. Brevem quoque eorundem sexaginta sex Concilii *Cabilonensis* Canonum notitiam atque explicationem tradit sæpe citatus *Natalis Alexander* articulo VII. cap. iv. Historiæ sæcul. ix. & x.

Anno dcccxvi. Imperante *Ludovico Pio* congregatus est Conventus *Aquisgranensis*, in quo Episcopi ad petitionem Imperatoris, qui aliquam Institutionis formam tam pro Canonibus, quam pro sanctimonialibus ex sacris Canonibus, & SS. Patrum verbis excerptam peroptabat, geminam Regulam duobus libellis comprehensam condiderunt (a). Libellus, qui Canonicorum continet Regulam, constat c. cxlv. Libellus vero, qui sanctimonialium Regulam exhibet, Capit. xxviii. complectitur. Alium Conventum *Aquisgranensem* an. sequenti, seu dcccxvii. convocari curavit idem Imperator *Ludovicus Pius*, in quo de uniformi ratione vivendi secundum Regulam S. *Benedicti* actum est, ob idque septuaginta duo fuere constituta Capitula, sicut testatur *Leo Ostiensis* in Chronico *Cassinensi* lib. 1. cap. 16. Duas illas Synodos *Aquisgranenses* suasionem *Ludovici* Imperatoris convocatas *Baronius*, *Cointius*, & *Natalis Alexander* secuti Auctorem vitæ *Ludovici Pii* in unam Synodum confundunt. At duas illas Synodos *Aquisgranenses* distinguendas esse, Auctoremque vitæ *Ludovici Pii* Imperatoris eas in unam eandemque Synodum male confudisse, plurimis argumentis evincit *Clarissimus Pagius* in sua Critica *Baronii* ad annos dcccxvi. & dcccxvii. (b)

„ (a) Regula Sacrarum Virginum in Conventu *Aquisgranensi* edita capitula continet „ XXIX. nam præter vulgata, aliud ego adjecit „ tum reperi in Cod. vetustissimo, eodem quo „ concilium habitum est, sæculo exarato, servato „ apud religiosissimos PP. cœnobii S. Crucis „ in

in *Jerusalem* Romæ mihi communicato ab erudito Patre *Dario Marinoni* ejusdem cœnobii Monacho, idemque ego daturus sum in nova, quam sæpe commemoravi, Conciliorum editione. In qua pariter adjiciam Regulam pro Canonibus interpolatam quidem, sed omnino ab ea interpolatione diversam, quæ in *Labbeis* Conciliis profertur.

„ (b) Præter geminas hæc *Aquisgranenses* Synodos, tertiam aliam ego distinxerim in meo Conciliorum supplemento habitam anno 803. sub *Carolo Magno* pro Monachorum reformatione, de qua vetustus author *Annalium Francorum* vulgatus a *P. Martene Veter. Monum.* tom. VII. in ea vero conditos nonnullos ex iis Canonibus, quos comprehensus legimus in collectione 80. Canonum Conventus *Aquisgranensis* anni 817. sub *Ludovico Pio*. Id vero deduxi ex regularibus decretis a S. Synodo in Francia sub *Carolo Magno* conditis, & a S. *Simperto* Episcopo *Augustano* & *Abbate Morbacensi* commemoratis, vulgatisque a *P. Pez* Aneodot. tom. II. part. 3. vulgatis. Ibi vero XXVII. tantum capitula in ea Synodo condita animadverti, quorum postrema duo ita designantur: ultima vero duo capitula &c. Condidit ergo hoc Concilium sub *Carolo Magno* XXVII. tantum capita & non plura, eademque recurunt cum aliis admixta in ampliori collectione Canonum 80. Concilii *Aquisgranensis* 817. sub *Ludovico Pio*.

Anno dcccxix. Imperantibus *Ludovico Pio*, & *Lothario*, quatuor ad Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurationem celebratæ sunt Synodi, *Moguntina*, *Parisiensis*, *Lugdunensis*, ac *Tolosana*. Sed ex istis quatuor Synodis extat nunc tantum Synodus *Parisiensis*, quæ inter *Parisienses* est ordine sexta, distribuiturque in tres partes, sive in Capitula cxiv. quorum Synopsis, & explicationem legesit apud *Natalem Alexandrum* art. ix. cap. v. Historiæ sæculorum ix. & x. i. partis (a).

„ (a) Quamquam verum est Conciliorum istorum Canones non extare, adhuc tamen supersunt *Agobardi*, aliorumque Episcoporum ab hac Synodo latæ Epistolæ geminæ, quas legas integras in Biblioth. *Veter. PP.* Tom. IX. edit. *Paris.* Insuper Concilii *Parisiensis*, cujus extant Canones, est etiam Epistola *Ynchadi* *Parisiensis* Episcopi vulgata a *Dubois* Histor. *Eccles. Paris.* Tom. I. pag. 349. pro asserendis Ecclesiasticis *Parisiensibus* preventibus nonnullis. Huic Epistolæ subscribunt Episcopi nonnulli quod valet ad eruendos Patres ejusdem Concilii, quorum nulli apparent in Canonibus evulgatis.

Anno dcccxvii. *Ludovicus Pius* Imperator ad faciendam Ecclesiasticæ disciplinam Synodum *Aquisgranensem* convocari curavit, quæ duas in partes dividitur, quarum una tripartitos Canones complectitur circa tria Capitula, quæ, ut ab Episcopis illius Synodi tractarentur, a *Ludovico Pio* Imperatore suadente proposita sunt. Altera pars in tres libros distribuitur, quos Episcopi istius

Synodi *Pipino* Aquitania Regi direxerunt, ut res, quas ei antea per Commonitorium suggererant, Sacræ Scripturæ testimoniis, & exemplis illustrarent. Perit quidem istud Commonitorium, sed quid contineret abunde docent prædicti tres libri, qui editi sunt in Collectionibus Conciliorum, seu Tomo VII. cum capitibus in hoc Concilio *Aquisgranensi* conditis.

Anno dcccxlii. Synodum apud *Lauriacum*, suadente *Carolo Calvo* Galliarum Rege, in pago *Andegavensi* coacta est, in qua statuta sunt quatuor Capitula adversus eos, qui auctoritatem, juraque Ecclesiasticæ, & Regia contemnunt; quibus sciendæ occasionem dederunt *Lambertus* comes, alique, qui contra *Carolus Calvus* Regem eo tempore rebellarunt. Anno sequenti, seu dcccxlii. habita est Synodus ad *Theodonis Villam*, in qua *Lotharius* Imperator, & fratres ejus *Ludovicus*, & *Carolus*, depositis odiis, concordiam inter se inierunt. Qua de re, & aliis negotiis Ecclesiasticis conditi sunt Canones sex, qui extant Tomo VII. Concil. eorumque Synopsis tradit *Natalis Alexander* art. xii. cap. iv. part. i. Historiæ sæculorum ix. & x. Habitu est etiam eodem anno dcccxlii. suasionem *Caroli Calvi* Regis Concilium *Vernense* in Palatio Regio, præfidente *Ebroino* *Pictavorum* Episcopo *Sacri Palatii* Archicappellano, in quo xii. de Disciplina Ecclesiastica extant Canones Tomo VII. Concil. & apud *Natalem Alexandrum* articulo XIII. loci mox laudati.

Anno dcccxlv. sub eodem *Carolo Calvo* Rege indicta est Synodus *Bellovacensis*, in qua, vacante per depositionem *Ebbonis* Sede *Remensi*, *Hincmarus* in ejus locum fuit successit, & *Remensis* Archiepiscopus consecratus, octoque editi sunt Canones, qui Disciplinam Ecclesiasticam spectant, extantque Tomo VII. Concil. & apud *Natalem Alexandrum* art. xiv. loci jam indicati. Eodem anno, regnante in Gallis *Carolo Calvo*, habita est *Meldensis* Synodus, in qua, ut jura Ecclesiastica facta recta conservarentur, conscripti sunt Canones quinquaginta sex, extantque Tomo VII. Conciliorum, & apud *Natalem Alexandrum* art. xv. cap. lv. partis i. Hist. sæculorum ix. & x.

Anno dcccxlv. convocata est Synodus *Parisiensis*, in qua *Ebo* antehac *Remensis* Archiepiscopus Sedem, qua dejectus fuerat, invadere prohibitus est, & omnia Capitula, quæ constituta sunt in præcedentibus Conciliis, *Lauriacensi*, apud *Theodonis Villam*, *Vernensi*, *Bellovacensi*, & *Meldensi*, fuerunt absoluta, seu terminata, sicut aperte declarat ejusdem Concilii *Parisiensis* Præfatio, quæ una cum illius Actis extat Tom. VIII. Conciliorum.

Anno sequenti, seu dcccxlvii. suasionem *Ludovici* Germaniæ Regis congregata est Synodus *Moguntina* Præfide *Rabano* hujus Urbis Archiepiscopo, cui etiam *Chorepiscopi*, *Abbat*, *Monachi*, & omnium Ordinum Clerici adiuere. In ea conditi sunt Canones XXXI. de Disciplina Ecclesiastica, quæ non minus in Regno *Ludovici*,

vici, quam Caroli ejus fratris erat labefacta. Extant hi Canones XXXI. Tomo VIII. Conciliorum, & apud *Natalem Alexandrum* art. xvii. cap. iv. partis i. Hist. sæculorum ix. & x. Aliud Concilium Moguntinum anno sequenti, seu dcccxlvi. celebravit Rabanus contra Gothescalcum, de quo Concilio, sicut & de aliis Synodis *Carisfacensi prima*, anno dcccxlx. *Carisfacensi secunda*, anno dccccli. *Valentina tertia*, anno dcccclv. *Lingonensi*, & *Tullensi*, anno dccclix. quæ, fervente nono Ecclesiæ sæculo in Galliis causa Gothescalchiana, celebratae sunt, sat superque egimus superius. Consulto etiam hic prætermitto Concilia, quæ nono Ecclesiæ sæculo in causa *Ebbonis* habita sunt, videlicet *Bellovacense*, an. dcccxlv. *Suessionense secundum* an. dccccli. & *Suessionense tertium* an. dcccclvi. Prætermitto similiter Concilia, quæ convocata sunt in causa *Rotbadi* *Suessionensis* Episcopi, & in causa *Hincmari* *Laudunensis* Episcopi, ac denique in causa divortii *Lotharii* Regis, & *Theuberge* ejus conjugis, quia ejusmodi Concilia, & res in his gestas jam compendio attigimus, nec in his diutius immorari finit nobis in tractandis rebus Ecclesiasticis præscripta brevitatis.

D. Percensuistine omnia Concilia Provincialia, quæ nono sæculo fuerunt convocata?

M. Quædam alia Concilia Provincialia ix. Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata, a quibus breviter nos expedire necesse est. Anno itaque dccccl. habita est Synodus *Ticinensis*, in qua ad reformandos Ecclesiæ mores conditi sunt XXV. Canones, quorum Synopsim, & expositionem exhibet *Natalis Alexander* art. xviii. cap. iv. Historiæ sæculorum ix. & x. Ad Concilium *Tullense* secundum in Villa *Tustaco* quatuordecim Provinciarum Episcopi an. dcccclx. convenerunt, ac pro Ecclesiasticæ Disciplinae restauratione quinque condiderunt Canones, qui extant una cum *Epistola Synodali* adversus rerum Ecclesiasticarum invasores, & *Hincmari* *Epistola* de nuptiis *Stephani*, & filia Regimundi comitis Synodi jussu scripta Tomo VIII. Conciliorum. *Wormatiam* nobilem Germaniæ Civitatem Nationalis convenit Synodus suasionem *Ludovici* Germaniæ Regis anno dcccclxviii. in qua conditi sunt Canones XLV. ex quibus singulari observatione dignus est Canon decimus quintus, quo statuitur, ut ad inquirendum furti auctorem in Monasteriis, Missa ab Abbate, vel alio Presbytero ejus jussu celebretur, & singuli Monachi pro purgatione sua corpus, & Sanguinem Christi percipiant, ut hoc pacto se innocentes ostendant. Sed hæc disciplina, quæ ix. Ecclesiæ sæculo obtinebat, propter sacrilegii periculum postea jure merito fuit abrogata. Præter hos quadraginta quinque Canones Concilii *Wormatiensis*, circumferuntur alii triginta quinque, qui tamen in vetusto MS. Codice defunt, nec ad istam Synodum *Wormatiensem* pertinent, cum interdum in iis repetantur, quæ superioribus Canonibus sancita legantur.

Hinc est, quod Viri eruditi triginta illos quinque Canones ex aliarum Synodorum Decretis conflatas esse opinentur. Extant Canones conditi in ista Synodo *Wormatiensi* Tomo VIII. Conciliorum, eosque recenset, & explicat *Natalis Alexander* artic. xxiii. cap. iv. partis primæ Hist. sæculorum ix. & x.

Anno dcccclxxvi. *Carolus Calvus* post mortem *Ludovici* patris sui Imperator a *Joanne VIII.* Summo Pontifice coronatus, Synodum secundam *Ticinensem* congregari curavit, ut sibi ab Episcopis, Abbatibus, & Optimatibus Regni Italici Imperium confirmaretur. Quapropter, hac in Synodo *Carolus Calvus* ab omnibus acclamatus atque susceptus fuit Imperator, conditaque sunt Capitula quindecim, quorum primo decernitur, ut *Sancta Romana Ecclesia*, sicut est Caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur. Reliqua illius Synodi Capitula extant Tomo ix. Conciliorum, & in Capitularibus *Caroli Calvi*. Eodem anno *Carolus Calvus*, qui in Synodo secunda *Ticinensi* a Proceribus, & Episcopis Regni Italici acclamatus fuerat Imperator, pariter a Galliis in Synodo *Pontigonensi* susceptus est Imperator. In hac Synodo *Pontigonensi* *Ticinensi* Capitula fuerunt confirmata, *Formosi* *Portuensis* Episcopi, & aliorum excommunicatio, facta in Synodo *Romana*, a Patribus *Gallicanis* approbata. Primatus *Ansegisi* Archiepiscopi *Senonensis*, qui post mortem *Ludovici* Imperat. a *Carolo Calvo* Romanam missus fuerat, ipsique Imperium a *Joanne VIII.* Papa, & Italici Primoribus ut deferretur effecerat, unanimiter agnitus est. Sed de hoc Primatu, quem per Gallias, & Germaniam *Joannes VIII.* Pontifex Maximus contulit *Ansegiso* *Senonensi* Archiepiscopo, legendi sunt *Natalis Alexander* artic. i. parag. 3. capit. v. partis primæ sæculorum ix. & x. & *Gerardus Dubois* in Historia Ecclesiæ *Parisiensis* capit. i. Acta integra istius Synodi *Pontigonensis* recitat *Baronius* ex continuatore *Aimonii*, qui ea exscripsit ex *Annalista Bertiniano*. Extant tamen & alia ejusdem Synodi Acta, illa fortasse quæ cum *Legatis Apostolicis* dictasse, & in Synodo legisse dicitur *Odo* Episcopus *Bellovacensis*, quorum partem *Baronius* ad annum Christi dcccclxxv. refert ex *Odoranno* in *Chronico*. Sed in his posterioribus Actis *Ansegisi* Primatus unanimiter agnitus ac susceptus dicitur, cum tamen in prioribus nihil apud Episcopos *Ansegisum* promovisse dicatur. Anno dcccclxxvii. *Joannes VIII.* Pontifex Maximus Concilium *Ravennatense* celebravit, cujus Decreta publicavit *Holstenius* in *Collectione Romana*. Superfunt illius Concilii tantum Capitula xix. ad disciplinam & immunitatem Ecclesiasticam restituendam spectantia, & præterea *Epistola*, qua possessio *Flaviniani* Monasterii *Adalgavio* *Eduensi* Episcopo confirmatur, ut constat ex *Diplomate*, quod ex Ecclesiæ *Eduensis* *Tabulario* desumptum edidit *Chiffletius*, *Societatis Jesu* in probationibus *Historiæ Tornutiensis* Monasterii. Canones conditi in hoc Con-

Concilio *Ravennensi* fuerint confirmati in Synodo secunda *Trecensi*, quam *Joannes VIII.* Summus Pontifex in Galliis existens an. dcccclxxviii. convocavit (a). In hac Synodo *Trecensi* actum est de causa *Hincmari* *Laudunensis* Episcopi, sicut superius a nobis jam observatum est.

(a) Concilii hujus *Trecensis* acta ex *Ambrosianis* schedis auctiora & ampliora edidit *Muratorius* *Ret. Ital. to. ii. p. 2.* ex quibus apparet canones in ea editos ad viginti ascendisse; huic vero non *Joannes* quidem Pontifex, uti plerisque creditum, sed *Anspertus* *Mediolanensis* Archiepiscopus præfuisse dicitur. Subscripti vero huic leguntur plures *Itali* Episcopi, & subjiciuntur subscriptiones *Patrum* Concilii *Pontigonensis*. In quo concilio canones *Ravennatenses* confirmati sunt.

Anno dcccclxxxii. congregata est Synodus apud *Sanctam Macram* in *Diocesi* *Remenis* finibus, in qua non pauca ad disciplinam Ecclesiasticam restaurandam sancita sunt, extantque Canones octo in ea conditi Tomo ix. Conciliorum. An. dcccclxxxviii. *Luitbertus* Archiepiscopus *Moguntinus* Synodum *Moguntinæ* celebravit, in qua ad disciplinam Ecclesiasticam propter incurfiones *Normannorum* reformandam viginti sex conditi sunt Canones, qui extant Tomo ix. Conciliorum. Eodem circiter anno Synodus *Metensis* celebrata est in Ecclesia *Sancti Arnulphi*, cui *Rathodus* *Trevirensis* Archiepiscopus, & tres Episcopi, unus Abbas, & multi Sacerdotes adfuerunt. Tredecim in ea Synodo conditi sunt Canones, qui extant Tomo ix. Conc. An. dcccclxxxii. apud *Viennam* *Galliæ* *Metropolim*, præsentibus, & præsentibus *Formosi* *Papæ* legatis Concilium ab Episcopis Regni *Arelatensis* in *Basilica* *Salvatoris* celebratum est, in quo conditi sunt quatuor Canones, qui extant Tomo ix. Conciliorum. An. dcccclxxxv. apud *Tiburiam* *Villam* *Regiam* ad *Rhenum* non longe a *Moguntia*, Synodus, quæ dicitur *Tiburienfis*, congregata est ad corrigenda Clericorum vitia, & ad Ecclesiasticæ Disciplinae restaurationem. Ad eam Episcopi viginti duo convenerunt, qui Canones quinquaginta, & octo ediderunt, quos refert, & explicat *Natalis Alexander* art. xxx. cap. iv. partis i. sæculorum ix. & x. Denique, ex tribus Conciliis, quæ *Flodoardus* in *Fragmento de Pontificibus Romanis* a *Joanne IX.* Pontifice Maximo congregata fuisse affirmat, duo tantum supersunt, nempe *Romanum*, & *Ravennense*, quæ an. dcccclxxxviii. fuere celebrata. In Concilio *Romano* Acta *Pseudo-Synodi* *Romanæ* a *Stephano VII.* habitæ *Joannes IX.* infirmavit, *Sergium*, & socios damnatos restitui vetuit, violatores *Sepulchri*, cadaverisque *Formosi* *Papæ* damnavit, Episcopos a *Stephano VII.* exauguratos ad gradus pristinos reduxit, & *Lamberti* Imperatoris unctionem confirmavit. In Concilio *Ravennensi*, quod paulo post Concilium *Romanum* ab eodem *Joanne IX.* coactum est, & cui *Lambertus* Imperator, & *Lxxiv.* interfuerunt Episcopi, Statuta in Capitularibus *Regum Francorum* de persolvendis decimis Episcopis confirmata sunt. Sed *Graves. Hist. Tom. III.*

de utroque Concilio, *Romano* videlicet, & *Ravennensi* legendus est *Clarissimus Pagnus* in sua *Critica* *Baronii* ad annum dcccclxxxviii. ubi etiam perdocte observat, *Sigonium* lib. 6. de *Regno Italiæ*, & nonnullos alios Scriptores fuisse hallucinatos, dum Concilium *Ravennense* inscite confuderunt cum Concilio *Romano*, & ex duobus unum perperam fecerunt (b). Sed de Conciliis, quæ tam ad dirimendas fidei Controversias, quam ad sancendam Ecclesiæ disciplinam variis in locis nono Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, plura non dicam, ne prætergrediar horam, qua Colloquia nostra arenaria *Clepsydra* vulgo metiri solemus.

(b) Quamquam & alia ego Concilia, hoc labente sæculo celebrata, in meo Conciliorum Supplemento recensui, in collectiones nondum investa, eaque hic attingere supersedeo, memoratu tamen dignum judico Concilium *Catalaunense* sub *Mantone* Episcopo, quem sedere cœpisse judico circa annum 897. Ille vero habita *Catalaunis* Synodo judicavit in causa *Angelici* presbyteri, qui palam uxorem duxit. In ea causa Patres judicaverunt tantisper suspendi sententiam, quoad usque *Remenis* Archiepiscopus *Fulco* consuleretur. Extant *Mantonis* ad eundem *Falconem* literæ apud *Mabilonium* *Analect. p. 429.* edit. in fol. Hoc primum exemplum conjugii a Sacerdotibus celebrati occurrit.

COLLOQUIUM V.

De Viris Illustribus, qui nono Ecclesiæ sæculo doctrinæ, & pietatis laude claruerunt.

D. UT scriptorum Ecclesiasticorum, qui in variis Orbis partibus nonum Ecclesiæ sæculum doctrina, & pietate illustrarunt, notitiam facilius assequi, eorumque genuina Opera accuratius a spuris discernere possim, optarem ut in isto Colloquio illos distribueres in sex omnino classes; ita ut in prima essent omnes Scriptores *Galli*; in secunda Scriptores *Itali*; in tertia Scriptores *Germani*; in quarta Scriptores *Hispani*; in quinta Scriptores *Hispani*; in quinta Scriptores e *Regno Angliæ* oriundi, & in postrema infererentur Viri illustres, qui in Ecclesia *Orientali* floruerunt.

M. Quod *Gallos* Scriptores in prima classe illustrium Virorum, qui nono Ecclesiæ sæculo doctrina & pietate præfulserunt, reposueris; juste ac sapienter fecisti. Abundavit quippe nono sæculo præ cæteris aliis nationibus *Gallia* Viris eruditione & sanctissima clarissimis, qui ad dilucidandas Controversias eo sæculo enatas de Sanctissimo Altaris Sacramento seu *Corporis & Sanguinis Domini*; de Prædestinatione & voluntate Dei salvandi homines, necnon de Cultu, qui Sanctorum Imaginibus deferri debet, præclara ediderunt Opera. Extiterunt etiam eodem sæculo in Galliis doctissimi Abbates & Monachi, qui ad fidei Catholice defensionem, & Monasticæ Disciplinae observationem indefesso studio suam omnem curam, industriam, & eruditionem contulerunt.